



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

§.IV. Quæ causæ à veniendo ad Concilium Provinciale vocatos eximant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

coporum Comprovincialium. 3. Concilium *Calcedonenſe* illud vocat Concilium Episcoporum. 4. *Martin Brach*. Concilium *Antiochenum* referens, licet ſuo ſæculo accommodet, ſuos tamen Episcopos, inter vocandos ad Concilia Provincialia, annumerat. 5. Synodus VII. monens Patres Concilii Provincialis, quid agere debeant, dum celebratur, ſolos nominat Episcopos. 6. *Concil. Later.* injungens Metropolitanis, ut Concilia celebrent Provincialia, his verbis exprimit quod jubet: *Metropolitani cum Suffraganeis ſuis non omittant Concilia Provincialia celebrare.*

Oppones contra primam probationem; citatum *Concil. Later.* Synodum Diœceſanam vocare, Synodum *Episcopalem* . . . ſed reſpondetur: Concilium vocari poſſe *Episcopale*, vel ab Episcopo convocante, vel ab Episcopis convocatis, illudque componentibus: Synodum autem Diœceſanam à *Concil. Later.* vocari *Episcopalem*, primo modo; Concilium verò Provinciale, *Episcopale* nuncupari à S. LEONE, ſecundo modo: idque quia, ſi à convocante denominaret illud, Concilium Archiepiscopale vocitaret.

Oppones iterum contra omnes, Concilium Tridentinum inſinuare, alios quam Episcopos vocandos, ut Judices, ad Concilium Provinciale; cum jubeat, ut, non ſolum Episcopos, ſed & alii, qui de jure, vel conſuetudine, intereſſe debent, eidem interſint . . . Verum, reſpondetur: alios ab Episcopis, qui Concilio iſti intereſſe debent, non intereſſe, ut judices, ut docet Concilium *Burdigal. BOCHEL. Lib. V. Tit. ult. C. 6. 1582.* quod, ſicut & alia ejuſdem temporis, celebratum eſt ad exequendum Concilii *Tridentini* Decretum, circa Concilia Provincialia, quodque ideo audiendum eſt, ut optimus hujus loci oppoſiti interpres.

Secunda & tertia *Regulæ* pars patent: 1. Ex *C. 4. DIST. XVIII.* ubi Concilium *Antiochenum* dicit, Presbyteros, Diaconos præſentes eſſe Concilio Provinciali, & omnes qui exiſtimant ſe læſos, Synodicam expeſtare Sententiam. 2. Ex *Cap. 46. CAUS. XI. QUÆST. I.* in quo Clericus habens cauſam contra Episcopum, in Concilio Provinciali, judicandus dicitur: 3. Ex *Cap. 2. 4. 5. 30. 35. CAUS. XI. QUÆST. III.* ubi legitur, conquerentem de Episcopo, Synodum Provincia debere interpellare. 4. Ex *Cap. 6. 7. CAUS. XI. QUÆST. III.* ubi Episcopus, in Synodo depositus, reſtitui in alia Synodo vetatur, ſi divina antè reſtitutionem, præſumpſerit celebrare. 5. Ex *Cap. 43. CAUS. XI. QUÆST. III.* ubi ſine diſtinctione, excommunicat in Concilia delinquentes, tribus Caſibus, quorum primus eſt eorum, qui vocati nolunt venire; 2. illorum, qui venientes, obedire nolunt. 3. Horum, qui, antè finitam cauſa ſua examinationem, abeunt.

REGULA II.

Ad Concilium Provinciale vocanda ſunt Capitula Eccleſiarum Cathedralium, tam ut jura ſua defendant, quam, ut Episcopos ſuis juvent conſiliis in deciſionibus. *C. 10. de his, quæ fiunt à Pralat. &c.*

Hoc Caput non eſt *Innocentii III.* ſed *Honorii III.* vide *CIRONIUM* in illud.

§. IV.

Quæ cauſa à veniendo ad Concilium Provinciale vocatos eximant.

REGULA I.

Cauſæ omnes, quæ, à veniendo ad Concilium vocatos, eximunt, reducuntur ad Impotentiam, vel abſolutam, vel moralem. *C. 5. 10. DIST. XVIII.*

RATIO. Sunt quatuor tantum hujusmodi cauſa, nempe.

1. Aetas. *C. 10. ead. DIST.*

2. Aegritudo. *ibid.*

3. Gravior neceſſitas, qualis, quæ quis in captivitate, vel in carcere detinetur. *ibid. C. 9. 13. ead. DIST.*

4. Transfretandi periculum, aliudve ſimile, quale naſci poteſt ex inobſervantia Regiæ præceptionis, id expreſſe, vel tacite vetantis. *C. 2. SESS. XXIIV. C. 13. DIST. XVIII.*

Prima autem, ſecunda, & quarta harum cauſarum reducuntur ad Impotentiam Moralem, qualis eſt eorum, qui aliquid facere non poſſunt ſine gravi vitæ periculo, cui ſeſe objicere non tenentur. Hæc Impotentia moralis dicitur, quia non eſt re, ſed prudenti hominum opinione, eſſe judicatur. Tertia verò ad Impotentiam Abſolutam, quæ intelligitur ea, quæ eſt in his, qui rem aliquam nequam facere poſſunt.

§. V.

Ad quid teneantur Episcopi, qui vocati ad Concilium Provinciale venire nequeunt?

REGULA UNICA.

Duo tantum, circa illud, Jus Canonicum præcipit,

1. Ut excuſationes ſuas litteratoriè conſcribant. *C. 10. DIST. XVIII.*

2. Ut mittant Legatum, ſuſcepturum quidquid Concilium ſtatuert. *C. 9. ead. DIST. C. 3. CAUS. V. QUÆST. IV.*

§. VI.

Quæ pœna Episcoporum ad Concilium Provinciale venire nolentium?

REGULA I.

In hujusmodi Episcopos, una tantum in Corpore Juris Canonici exprimitur pœna, nempe, excluſio à Comprovincialium Communionem, uſque ad futurum Concilium, in quo non recipiuntur, niſi fuerint prius abſoluti: alia verò indigitatur.

Prima Partis RATIO eſt: è Canonibus in Corpore Juris incluſis, ſoli Canones 10. 12. 13. 14. *DIST. XVIII.* meminere pœnæ, in Episcopos, Concilio aſſeſſe injuſtè nolentes, præſcripta: Pœna autem, quam expriment, eſt ea ſola, de quibus *Regula*. Nota obiter, circa hanc pœnam 1. Illam eſſe Excommunicationem partialem, quæ, Episcopo reo, Communionem ſua Eccleſiæ relinquens, aliarum Eccleſiarum ejuſdem ac ſua Provincia, Communionem privabat.

2. Hanc Excommunicationem eſſe *lata Sententiæ*, ut hac locutione patet, *alienum à fratrum Communionem ſe agnoſcat*: quæ indicat Cenſuram *lata Sententiæ*.

3. Inuſitatum eſſe nunc hoc Excommunicationis genus, niſi inter innovatos à Concilio Tridentino, circa hanc rem, Canones citati includantur; quo caſu erit uſitatum, quoad legem, ſed inuſitatum, quoad executionem; cum Decretum Concilii Tridentini proindeque pœnæ, quibus munitur, non ſit in uſu: hoc enim ævo: duo tantum noſcuntur Excommunicationum genera; nempe Excommunicatio *Minor*, quæ Sacrorum participatione privat, & Excommunicatio *Major*, quæ ab omni Communionem Sacra excluſit, inſuperque ſimul & civili magna ex parte.

Secundæ Partis RATIO: Inter innovatos à Concilio Tridentino Canones, circa vocatos ad Concilium

lium